

*Atqui omnes homines DEus vult &c.*

*Ergo.*

Resp. Observes *Monitum* tuti simum cum limitatione : Secundum eam voluntatem, secundum quam DEus vult omnes homines salvos fieri, quæ est *antecedens* & quidem *ordinata* ; secundum eam sunt convertibiles : Jam autem quæstio est *de voluntate consequente*, quæ conditione vel antecedenti nititur inclusa, secundum hanc, uti DEus non amplius vult incorrigibiliter refractariorum salutem, ita & secundum eandem non amplius, ex propria culpa sunt convertibiles. Hinc damnatio inchoata ac prima, quam ipse D. Dorscheus appellat *Indurationem in peccatis*. *Fragm. Comment. in Epist. Jud. p. m. 195.* Id quod cum voluntate antecedente non pugnat, quippe quæ nunquam *absolute* voluit, ut omnes salventur, s. credant, sive non credant, sed ut omnes salventur *mediante fide in Christum*. Verba sunt *Balduini* in supra citata *Diss. Inaug.* Sub. Præs. D. Hutteri thes. CXXXI verbo : Eo ipso dum Censor nobis dicta objicit, quæ proponunt Dei voluntatem antecedentem, semper committit ignorationem Elenchi, cum suis complicibus & promachis satis quidem jam confutatis, Pergit tamen instando noster Vitilitigator :

*Quoscunq; DEus ad pœnitentiam invitat, illi ex ejus intentione sunt convertibiles :*

*Atqui omnes homines in hac vita DEus &c.*

*Ergo.*

Resp. Observes *Monitum* sæpius allatum : *Major* tua quoad prædicatum limitanda est : Illi sunt ex intentione Dei convertibiles, [*quousq; & quamdiu eos ad pœnitentiam invitat*] Quæstio autem est, an Deus continuo ad pœnitentiam invitare velit quoscunq; induratos? Niehenckius respondet : *Omnino*, & fingit probationem ex Act, XVII, 30, iste autem locus nil ad quæstionem nostram facit, quoniam vocatio DEI prima universalis in dubium nunquam vocata est, de qua Paulus c. I. loquitur. Utiq; enim DEus secundum voluntatem suam antecedentem omnes peccatores, nullo excluso. gratia sua salutifera dignatus est, & ad agendam pœnitentiam invitavit. Nobis vero quæstio est de voluntate DEI consequente judiciaria, secundum quam Deus refractarios semper usq; ad vitæ finem revocare ad pœnitentiam nusquam promisit. Vid. Rechenbergi *Paræn. I.* p. 17. & responsa Theologorum *Additam VIII.* adducta Provocavit Niehenckius etiam ad auctoritatem *B. Schomeri*, cujus verba, quæ in *Colleg. Controv. recent. Cap. XVIII.*

XVIII.